

F.K. 52. 17

Sam. Bond Copper.



PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
**CHRISTIANUS**  
**VATERUS,**  
PHILOS. ET MED. DOCTOR,  
EIVSDEMQUE P. P. SERENISS. PRINCI-  
PVM ANHALTIN. ARCHIATER , NEC  
NON PHYS. PROVINCIAL SAXON. ET NATVR.  
CVRIOS. COLLEGA,  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
S. P. D.



Sam. Bond Copper.




**S**I quis unquam in omni memoria statum & temporum, sapientiae studia ab ineunte etate cum religione conjunxit, utique is fuit, & utraque laude in coetu divino flouruit Theodoretus Cyri Antistes, qui Syriam, finitimasque regiones fama nominis implevit, & doctrina singulari, longo rerum usu, maximis deniq; virtutibus immortalem sibi gloriam comparavit. Vis ingenii summa, facultas judicandi exquisitissima, ubertas in dicendo, et copia admirabilis, interpretandi scientia, et mira in docendo facilitas movebant animos perinde ac fletabant, usq; eo, ut fontibus aquæ poti⁹, quam Theodoreto verba et rerum argumenta decessent. Docebat enucleate, explicabat accurate, commentabatur diserte, illustrabat eleganter & copiose, meditabatur assidue, et mentis acie scrutabatur res sacras: tanto minus a se discedebat, coetumque Dei deserebat. Haud inferior Theodoro fuit religiosissimus Saxoniae Doctor, SAMUEL BENEDICTVS CARPZOVIVS, stirpe literatorum herorum natus, qui robur Herculeum in profligandis reipublicae pestibus & monstris non magis ostentarunt, qvam comprobarunt. Hi veram, neque simulatam sapientiam e coelo deduxerunt, et sanctioribus in toga officiis sacra, leges, ornamentaliterarum naviter conservarunt, qvippe a natura facti & disciplina instituti atqve educati, ut fontes literarum, sine qvibus ingenia, ut

ut agri squalent incultique iacent, exarescere ne paterentur.  
Quo in numero vere ac merito reponendus est D. SAMUEL  
BENEDICTVS, aulae regali Saxonicae a consiliis et sacris,  
vir, cui vix quisquam nostra aetate par contigit, qui ad quod-  
cunque genus studii se contulit, aequales vicit, et in unoquoque  
eorum sic elaboravit, et aliis praestit, ut primas illi  
ultra omnes deferrent. In dicendo tanta inerat cum gra-  
vitate conjuncta suavitas, ut meliorem non quaererent, di-  
sertiorem non invenirent. Imo plus, quam Theodoreetus,  
ingenii docilitate affecatus est. Orator doctrina et usu,  
praeceptis et arte confirmatus: Poeta mentis viribus & na-  
tura valuit, Prudentium, Venantium, Sidonium, industria et  
compositionis elegantia superavit, in reliquis literarum par-  
tibus sic versatus est, ut nomen eius toto terrarum orbe, ser-  
monibus omnium iure celebretur. Tandem, non spretis,  
nec relictis, sed consulto depositis hisce studiis, certos indu-  
striae sue fines prescripsit, & ab scholis, quae miseriam la-  
borantibus praemium rependunt, ad fastigium dignitatis  
non precario, clam aut furtim, sed incomparabili doctrina  
contendit. Ita factum est, ut magna apud Regem ac Prin-  
cipes existimatione esset, et ob magnam excellentemq; vere-  
rum sacrarum scientiarum carus ab iis haberetur. Sive enim  
antiquum Viri genus, sive humanitatem et omnis doctrinae  
elegantiam, sive in tuenda veritate constantiam, sive labo-  
res, merita, ac virtutis exempla recognitarent, CARPOVIVUM  
patrocinio ornabant pariter ac muniebant. Rumorem vul-  
gi, quod Viri prudentiam non capiebat, ridebant, ac pro  
nihilo ducebant, quasi dissimularet quasdam sententias, ad  
perniciem religionis excogitatas. Sciebat, cum Theodo-  
reto olim nihilo rectius aetum, sed ut ille in magno patrum  
conventu damnavit erroris Nestorium, sic SAMVEL BE-  
NEDICTVS voce, scripto, exemplis constantem probavit  
ani-

JK La 5038

(+ 2331255)

animum, & vasorum errores hominum excusit diligenter  
ac reiecit, prodiit posteris exemplo, ut tanti doctoris ve-  
stigia persequantur. Hoc tantum tanti sacrorum antistitis  
nomen, omnibus seculis memorandum, recordatione pro-  
sequamur necesse est, quod non sepultum in tenebris iace-  
re, sed in luce Germaniae exsplendescere magis debet. Quas  
supremi officii partes sibi datas recte arbitratus est Vir sum-  
me Reverendus, Doctor & Professor Theologus multo  
celeberrimus, GOTTLIEBVS VVERNSDORFFVS, Alumnorum  
Elector. Curator gravissimus, Collegiqve sui h. t. *Decanus*,  
meritorum maximi VIRI existimator gratissimus iuxta ac  
disertissimus, Collega multis nominibus observandus, quem  
ut pro concione in solemini Academiae panegyri perendie  
ab hora IX. paeclare graviterqve dicturum, perattente  
audiatis, volumus enixe et obsecramus. P.P. Do-  
minica II. post EPIPHAN. Anno cl I CCIIX.



NC

F.K. 52. 11

Sam. Bend Capytor.

Za  
5058

PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
**CHRISTIANUS**  
**VATERUS,**  
PHILOS. ET MED. DOCTOR,  
EIVSDEMOE P.P. SERENISS. PRINCI-  
PVM ANHALTIN. ARCHIATER, NEC  
NON PHYS. PROVINCIAL SAXON. ET NATVR.  
CVRIOS. COLLEGA,  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
S. P. D.



Farbkarte #13

